



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

**Kinckius, Matthias**

**Coloniæ, 1662**

Oratio præparatoria ad audiendas Confessiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

ORATIO PRÆPARATORIA  
ad audiendas Confessiones.

*Antiphona.*

**C**OR mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova visceribus meis. Ne projicias me, facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

OREMUS.

**O**Mnipotens & misericors Deus, qui me indignum sacerdotalis officii ministrum fecisti; atque ad orandum, & interpellandum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus & ad pœnitentiam reverrentibus mediatorem constituisti: concede mihi propitius beata MARIA semper virgine intercedente, cum beatis Angelis custodibus nostris, & omnibus Sanctis, tuæ divinæ charitatis affectum, ut quæ mei sunt muneris dignè valeam implere: ac famulis, famulabusque

AD AUDIEND. CONFESS. 449

que tuis ad pœnitentiam revertentibus  
spiritum veræ compunctionis largiri di-  
gneris, ut resipiscant à diaboli laqueis,  
quibus adstricti tenentur, & ad te per  
dignam satisfactionem, & emendatio-  
nem revertantur. Per eundem Domi-  
num nostrum Jesum Christum Filium  
tuum: qui tecum vivit, & regnat, in uni-  
tate Spiritus sancti Deus: Per omnia  
sæcula sæculorum, Amen.

*Cum accedit pœnitens, signo Crucis facto  
super eum dicit.*

**D**ominus Jesus Christus sit in cor-  
de tuo, & in labiis tuis, ut dignè, &  
competenter confitearis peccata tua, ad  
laudem, & gloriam nominis sui, Amen.

*Formula Absolutionis:*

**M**isereatur tui omnipotens Deus,  
& dimissis peccatis tuis perducat  
te ad vitam æternam, Amen.

**I**ndulgentiam, absolutionem & re-  
missionem omnium peccatorum tuo-  
rum tribuat tibi omnipotens, & miseri-  
cors Dominus, Amen.

*Postea*

*Postea extendens manum versus illum,  
dicat:*

**D**ominus Jesus Christus absolva  
te, & ego auctoritate ipsius, ab-  
solvo te in primis à vinculo excommu-  
nicationis, suspensionis, & interdicti,  
in quantum possum, & tu indiges (sic di-  
citur; quando pœnitens est Ecclesiasticus, ha-  
bens aliquem ordinem: Si verò sit Laicus,  
omittitur verbum, Suspensionis, & postea  
prosequitur ad absolutionem dicens) Deinde  
**EGO TE ABSOLVO** à peccatis tuis:  
In nomine  $\text{P}$ atris, & Filii, & Spiritus  
sancti, Amen.

*Postea removens manum, dicit:*

**P**assio Domini nostri Jesu Christi, &  
merita B. Virginis **MARIÆ**, & om-  
nium Sanctorum, & quicquid boni fe-  
ceris, & mali patienter sustinueris, sint  
tibi in remissionem peccatorum, aug-  
mentum gratiæ, & præmium vitæ  
aeternæ, Amen. Vade in  
pace.

*In*

AD AUDIEND. CONFESS. 411

*In reconciliationibus, satis erit incipere  
Absolutionem ab iis verbis. Dominus Jesus  
Christus absolvat te, & c. omissis aliis præ-  
cedentibus precationibus.*

*Oratio recitanda post auditas Con-  
fessiones.*

**D**omine Jesu Christe, dulcis ama-  
tor, & sanctificator animarum,  
purifica obsecro, per infusionem sancti  
Spiritus cor meum ab omni affectione,  
& cogitatione vitiosa; & quidquid à me  
in meo munere, siue per negligentiam,  
siue per ignorantiam peccatum est, pro  
tua infinita pietate & misericordia sup-  
plere digneris. Commendo tuis amabi-  
lissimis vulneribus omnes animas, quas  
ad pœnitentiam traxisti, & tuo pretio-  
sissimo sanguine sanctificasti, ut eas à  
peccatis custodias, & in tuo timore, &  
amore conserues, in virtutibus indies  
magis promoveas, atque ad vitam per-  
ducas æternam. Qui cum Patre, & Spi-  
ritu sancto vivis, & regnas in sæcula sæ-  
culorum, Amen.

*Ad laudem, & gloriam Jesu Christi, ejusque  
sanctissimæ Virginis Mariae.*

DEVO-